DE QUATTUOR PANEGYRICIS QUI AB EUMENIO SCRIPTI ESSE DICUNTUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA RITE IMPETRANDOS

UNA CUM THESIBUS PUBLICE DEFENDET

A. D. VII. KAL. NOV. 1885

ARMINIUS SACHS

SILESIUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT

Weiland, stud. phil.

Oeltze, stud. phil.

HALIS SAXONUM.

PARENTIBUS. OPTIMIS.

DE QUATTUOR PANEGYRICIS

QUI AB EUMENIO

SCRIPTI ESSE DICUNTUR.

De duodecim qui vocantur veteribus panegyricis qui acute et sollerter disseruerunt, nostris temporibus complures et docti viri exstiterunt, neque vero ita rem egerunt, ut de omnibus orationibus accurate disputarent, sed ut nonnullas subtilius perscrutarentur, quarum auctorem vel auctores quaererent, ut Henricus Rühlius[1]), qui de secundo et tertio panegyrico scripsit, et Samuel Brandtius[2]) qui imprimis quartam, quintam, septimam, octavam orationem excussit. Alii[3]) complura attulerunt, quibus verba plurimis locis corrupta corrigerent et emendarent, ut Mauritius Hauptius[4]) et Aemilius Baehrensius[4a]). Codicum autem numerus, quibus panegyrici illi nobis traditi sunt[5]) egregie et praeclare auctus est, cum Baehrensio contigisset, ut codicem Londinensem 9480, librum aetatis et fidei magnae, qui vocatur Harleiamus, reperiret[6]) et meliorem purioremque verborum contextum quam ceteri legendum nobis proponeret, cum haud multo postquam repertus est appareret, librum illum ab archetypo Mogontino exscriptum esse.

Editis igitur panegyricis quamquam Baehrensius laudandus est, quod statim intellexit, quanti codex Upsaliensis ad constituendum illorum textum aestimandus esset, tamen eam ob rem vituperandus et incusandus est, quod permultis locis, sicut apud alios Romanorum scriptores, ita apud panegyristas verborum ordinem, qualem codices

---

1) de XII panegyricis latinis propaedeumata; diss. Gryphsw. 1868.

2) Eumenius von Augustodunum und die ihm zugeschriebenen Reden. Freiburg 1882.

3) K. Schenkl. Wiener Studien 3.

4) opuscula III 629 sqq.

4) Mus Rhen. 27, 215 sqq.

5) de quibus cf praefationem editionis Baehrensianae Lips 1874, et H. Rühlii dissertationis partem priorem.

6) cf. Mus. Rhen. 30, 464.

nobis praebent, aut temere immutavit, aut quae sibi placerent addidit, ut faciliorem eum redderet lectu, qua re difficultates in interpretandis illis orationibus quasi ferro perfregit, non dissolvit.

Cuius rei ex quarta oratione duo afferam exempla. Capite tertio consensu plurimorum et optimorum codicum haec traduntur: Scio haec, inquam, vir perfectissime, neque me sciens fallo et idcirco tantum abest, ut me relictis docendi praecipiendique rationibus aptum atque idoneum putem, ut sqq. Baehrensius autem cum desideraret vocabulum, ad quod „aptum et idoneum" referretur, „orationibus" vocem addidit, ratus facillime fieri potuisse, ut ea post „rationibus" excideret propter simillimam literarum formam, et haec olim scripta fuisse: ut me relictis docendi praecipiendique rationibus orationibus aptum atque idoneum putem, ut sqq.

At tamen lacunam ibi statuendam esse nego; nam sententia eius loci haec fere esse mihi videtur. Scio magnum esse discrimen inter „studiorum secreta exercitia"[7]) et sollemnem panegyricum, et quoniam adhuc illis solis me dedi, non me puto esse aptissimum et maxime idoneum virum, scil. quem cives mitterent, ut apud te loqueretur. Sed orationibus se omnino non esse idoneum vereor ut dixerit Eumenius, quod addere certe debebat, qualibus orationibus se non aptum haberet, ita ut non minus sit imperfecta sententia verborum quam antea. Nam nisi „talibus" vel simile quiddam additur, „orationibus" per se positum de panegyricis intellegi nequit.

Similiter ratione falsa usus Baehrensius capite octavo, ubi leguntur haec: „quae universae cum in consuetudinem tenera aetate venerunt" hanc vocem: „venerunt" immutavit in „verterunt." Qua id fecerit causa nescio; nam ut omittam complures illos Ciceronis locos, ubi „in consuetudinem venire" legimus, quibus solis demonstratur, hanc vocabulorum coniunctionem non alienam esse a sermonis latini usu, Baehrensius veram vim atque sententiam verborum depravavit. Nam cum „verterunt" scribit, significat naturam moresque illius viri priore aetate contraria fuisse eis, quae tum laudabantur, h. e. Maximianum,

---

[7]) cap. II.

qui verbis Caesaris Herculii appellatur, adulescentem continentiae prorsus expertem et rudem fuisse.

Quod dixisse aut dicere potuisse Eumenium nemo non negaverit. Itaque hoc quoque loco „venerunt“ quod libris manu scriptis traditur contra Baehrensii sententiam retinendum et servandum est.

Alios afferre poteram locos permultos ex eodem quarto ceterisque panegyricis sumptos, quibus Baehrensii libido in emendandis et corrigendis orationibus manifesto appareat. Sed quos attuli sufficiunt, ut ad rem ipsam, quam nobis tractandam proposuimus, tandem redeamus.

Atque duodecim illorum panegyricorum, qui ad nostram memoriam propagati sunt, primus in codice veterrimo Upsaliensi hanc inscriptionem prae se fert: Plinii Junioris panegyricus, manu recentiore supra scriptam; secundus[8]: Incipit panegyricus latini pacati dreptani dcus Theodosio etc; tertius: Incipit grarum actio Momertini de consulatu suo Juliano Impri, quartus: Incipit Nazarii dcus Costatino, quintus: Incipiunt panegyrici diversorum septem[9], sextus: Incipit secundus (quod quem nos quintum numeramus, primus novi ordinis fuit); septimus: Incipit tertius; octavus: Incipit quartus; nonus: Incipit quintus; decimus: Incipit sextus; undecimus: item eiusdem Magistri memet[10] Genethliacus Maximiani Augusti; duodecimus: Hic dictus est Constantino Filio Constantii.

Quibus ex inscriptionibus constat primam, quam editores numerant, orationem a Plinio Secundo habitam esse, secundam tertiamque[11] Cl. Mamertino attribuere solent, quartam[12] Eumenio, decimam[13] Nazario, undecimam[14] Cl. Mamertino, duodecimam[15] Pacato Drepanio

---

[8]) ordinem, qui cum rationibus chronologicis congruere videtur, non eum quem libri manu scripti praebent, et qui in omnibus editionibus servatur, eum hoc quoque libello sequar; sed quem supra posui, is codicum est ordo.

[9]) de quo loco cf. Brandtium l. l. p. 34 sqq.

[10]) haud scio, au haec vox depravata sit ex: „magistri memoriae, id quod m̃ m̃e notari poterat.“

[11]) eae sunt decima et undecima codicum.

[12]) nonam codicum.

[13]) quartam codicum.

[14]) tertiam codicum.

[15]) secundam codicum.

adscribunt. Reliquas autem, quarum auctores codicibus non nominantur, ita distribuunt, ut omissa sexta et nona, quarum auctores se ignorare omnes profitentur, ille, qui quartum panegyricum composuit, h. e. Eumenius, etiam quintum septimum octavum scripsisse dicatur. Ea modo de re viri docti dubitabant, utrum Eumenius omnes tres illos panegyricos habuisse putandus esset an modo singulos eorum an binos, incerti quemnam aut quosnam ei attribuerent. Ita[16]) egerunt Livineius, Arntzenius, Baehrius, Teuffelius, Bernhardyus, Hauptius, Tillemontius, Gibbonius, Manso, Clintonius, Wietersheimius, Burkhardtius, Preussius, Schäferus. Cui numero Kiliani [17]) libellus addendus est, qui, quamquam et ipse quattuor illas orationes ab Eumenio habitas esse contendit, tamen id nemini persuasit. Nam quartam quintamque solas tractans in eis iudicandis non probavit, ab uno viro eas scriptas esse, sed opinione quadam praesumpta adductus, summa rei breviter indicata pauca de temporibus, quibus eae scriptae esse ei videbantur, addidit. Sed vir doctissimus, qui postremus hac de re quaestionem instituit, Brandtius libro iam saepius allato prorsus a reliquorum sententiis discedit, cum statuit, praeter quartum panegyricum, nullum ab Eumenio dictum esse; deinde tribus reliquis inter se comparatis, apparere non ab eodem oratore eos esse compositos, sed singulos a singulis et diversis hominibus scriptos esse.

Eam igitur rem hac dissertatione paulo accuratius illustrare conabor et partim Brandtium sequens partim contra eum disputans, quaeram, a quibus et quando hi panegyrici, qui sunt octavus septimus quintus quartus, habiti sint. Ita autem rem instituam, ut primum in singulis orationibus de auctore et tempore quo scriptae sint, dicam, deinde ea, quae mihi vera visa erunt, inter se comparem, denique ut de elocutione eorum, qui has orationes habuerunt, verbis paucis agam.

---

[16]) cf Brandtium l. l. p 3, unde haec habeo.
[17]) Der Panegyrist Eumenius. Wuerzeborgiae 1869.

CAPUT PRIMUM.

DE OCTAVO PANEGYRICO, QUI INSCRIBITUR INCERTI GRATIARUM ACTIO CONSTANTINO AUGUSTO.

Octavus panegyricus Constantino[18]) dedicatus est, qui progenies Claudii Gothici et imperator Augustus appellatur.[19])

Qua ex re ut terminus, post quem habitus est, constitui possit, nobis primum quaerendum est, quo tempore Constantinus nomen Augusti acceperit. Quod ei non impositum esse, simul atque patri mortuo successit, ex capite quinto panegyrici sexti intellegitur, ubi leguntur haec: cum tibi (scil. Constantino) pater imperium reliquisset, Caesaris tamen appellatione contentus exspectare malueris, ut idem[20]) te qui illum, declararet Augustum. Sed cum Constantinus capite octavo eiusdem panegyrici iam „Constantinus Augustus" appelletur, necesse est, nomen Augustum ei impositum esse inter eum diem, quo pater obierat et illum quo oratio sexta habita est. Nam simul atque Constantius Eboraci mortuus est,[21]) Constantinus ipsis in castris ei successit a. d. VIII Kal. Aug.

---

[18]) cap. XIII quod enim ad propagandos aliorum principum dies sollemni verborum honore oratur, tibi Constantine soli sqq. [Codice veterrimo Upsaliensi „dies" omittitur, quod Baehrensius secutus minores libros post „principum" addidit. Sed illud, quod sane necessario desideratur, facilius certe post „propagandos" excidere potuit.]

[19]) cap. II et nuper, ut media praeteream, divum Claudium parentem tuum, ad recuperandas Gallias soli vocaverunt. Similiter c IV attende quantum sit, quod divum Claudium parentem tuum ad recuperandas Gallias primi sollicitaverunt.

[20]) is fuit Maximianus.

[21]) cf. VII, 7 manifeste enim sententia patris electus es imperator. Idatius. Constantio et Maximiano VI. His conss die functus Constantius et postea levatus est Constantinus VIII Kal. Aug. Adde quod Eusebius tradit in Vita Constantini I, 18, 21, 22. Lactantius de mort. pers. c 24 pater ei militibus commendato imperium per manus tradidit. Victor. Caes. 40, 4 Quo (scil. Constantio) mortuo cunctis qui aderant, annitentibus imperium capit. Epitomator, qui vocatur Aurelii Victoris 41, 3 Quo mortuo cunctis qui aderant annitentibus, sed praecipuo Eroco, Alamannorum rege, auxilii gratia Constantium comitato imperium capit. Eutropius X, 1, 2. Obiit in Britannia Eboraci sqq. id. X, 2 Verum Constantio mortuo Constantinus ...... in Britannia creatus est imperator.

anni trecentesimi sexti. Recte igitur Brandtius[22]: Dass der Regierungsantritt dieser Tag, und nicht seine Ernennung zum Augustus ist, zeigt Rede VII mit ihrer Schilderung desselben c 2—4 und ihrer auf ihn zurückgeführten Begründung des Erbrechtes Constantinus, auch wurden die Decennalien und Vicennalien Constantins von 306 an gerechnet. Praeterea cum similia[23] rerum scriptores de Constantini morte numeroque annorum quos regnavit tradiderint, apparet annum trecentesimum sextum imperii primum fuisse.

Sexta autem oratio cum ad' celebrandas[24] nuptias Constantini et Faustae, filiac Maximiani, anno trecenksimo septimo habita sit, sequitur ut octava post hunc annum dicta sit.

Videamus reliqua; cap. XIII leguntur haec: „o lustrum omnibus lustris felicius; quinquennalia nobis, sed iam perfecta, celebranda sunt.“

Hoc lustrum ad tempus, quo Constantinus imperium iniit, referendum est, h. e, ut supra demonstravimus, a. d. VIII Kal. Aug. anni 307. Qua re efficitur, ut octavus panegyricus, quo celebranda quinquennalia[25] Constantini, sed iam perfecta commemorantur, quae iucipiente quinto anno agebantur, autumno anni trecentissimi undecimi habitus sit.

Atque in quo oppido eius auctor locutus sit, cognoscere possumus, si hos locos consideraverimus et c. I: „Flavia Aeduorum ..... in ea civitate gratias tibi ageret, cuius eam similem facere coepisti“ et cap. II: „in hac urbe, quae adhuc assiduitate praesentiae tuae prae ce-

---

22) l. l. p. 45.

23) Hieronymus Anno Abrahamis 2350⁰ (= 337⁰ p Chr n) Constantini tricesimo primo anno. Constantinus cum bellum pararet in Persas, in Achyrone villa publica iuxta Nicomediam moritur. Eutrop X, 8 Bellum adversus Parthos molitus, qui iam Mesopotamiam fatigabant, XXXI anno imperii obiit.

Chronicon Paschalis p, 286 C...... Κωνσταντῖνος .... ὁρμήσας ἐπὶ τὴν ἀνατολὴν τῶν Περσῶν . . μεταλλάττει τὸν βίον ἐν προαστείῳ τῆς αὐτῆς πόλεως (Νικομηδείας) βασιλεύσας ἔτη λά καὶ μῆνας ί.

24) cf. VI, I: ea ..... quae sunt huius propria laetitiae, qua tibi Caesari additum nomen imperatoris et istarum caelestium nuptiarum festa celebrantur. Adde VI, 2 tibi Constantine sqq; ib 8 Constantine Auguste sqq; ib. 11. ut imperatori sqq.

25) cap. XIII ex quo tu imperare coepisti.

teris fruitur;“ quibus verbis id oppidum, in quo Constantinus illis temporibus regnabat, h. e. Augusta Treverorum, significatur.

Nunc quaeramus, a quo hic panegyricus habitus sit. Augustoduni se esse natum auctor ipse dicit et c. I: „id quod fieri decebat, gaudiorum patriae meae nuntium sponte suscepi“ et cap. II: cum ostendero, non tam studio praedicandae patriae meae .... tum persequar“ et ibidem: „habebit enim (scil. Augusta Treverorum) felicitatis aemulam Flaviam nostram.“ Id autem nomen ut tribueretur, cives Augustoduni, a Flavio Constantino, quem quasi alterum oppidi conditorem intellegerent,[26]) impetraverant, quippe cuius nomen gentilicium esset. Puerum se seditionem Gallorum, qui patriam caperent, cum imperator Claudius auxilium petentibus subvenire non posset, vidisse et ipse capite quarto narrat; tumultum autem illum postea clade Catalaunica sedatum esse. Quae patriae calamitas et qualis fuerit ex capite IV pan. IV intellegitur, ubi Eumenius, qui eum composuit, et ipse imperatorum Romanorum benevolentiam summis laudibus effert, qui Augustodunum, latrocinio rebellionis „Batavicae“, ut libris manu scriptis traditur, vehementissime vexatum, restituissent et pulcherrimis aedificiis exornavissent.

Vocabulum autem „batavicae“, quod in codicibus legitur, prorsus falsum esse iam diu ab omnibus conceditur; sed ne illud quidem, quod cum Lipsio et Livineio Baehrensius in verborum contextum recepit: „Bagaudicae“ verum esse Brandtius docuit, qui ipse „aquitanicae“ [27]) legendum esse statuit.

Nam recte opinatus est, illis verbis nullum aliud bellum significari, nisi quo Augustodunum a Tetrico [28]) eiusque militibus septem per menses obsideretur, oppu-

---

[26]) cf. cap I: tibique restitutori suo, immo, ut verius fatear, conditori.

[27]) quam sententiam equidem probare non possum, cum hac ratione vox codicibus servata quasi per vim mutata essse mihi videatur; haud scio an probabilius sit, pro „batavicae“ ponere „gallicae“ aut „gallicanae“, quippe quod et forma illi non dissimile sit, et re ipsa confirmetur capite quarto pan. IV, ubi Tetrici socii gallicani rebelles nominantur.

[28]) Integra eius nominis forma est: C. Pius Esuvius Tetricus; cf. Ermannus in: A. v. Sallet, Zeitschrift für Numismatik vol. III

gnaretur, anno ducentesimo undeseptuagesimo occuparetur, Claudio auxilium incolis non ferente. Nam cum is illo tempore a Gallia afuisse nec potuisse eo dicatur venire, tempus, quo id factum sit, certissime constituitur additis testimoniis et Idatii, apud quem scriptum invenimus: „Claudio et Paterno. His conss. (h. e. 269) victi Gothi a Claudio,“ et epistolae Claudii ad senatum datae[29]: „S. P. Q. R.“ Claudius Princeps; P. C. militantes, audite, quod verum est. CCCXX milia barbarorum in Romanum solum armati venerunt...... Gallias et Hispanias, vires reipublicae, Tetricus tenet.

Haec igitur duo testimonia si cum eis rebus, quae ab auctore panegyrici nostri narrantur, coniungemus, apparebit, Tetricum illo tempore, cum Claudius cum Gothis pugnaret neque Galliae auxilio proficisci posset, h. e. anno ducentesimo undeseptuagesimo, Augustodunum oppugnaverit, ceperit, diripuerit.

Quoniam autem, qui octavum panegyricum composuit, tum se fuisse puerum quidem ipse tradit, sed talem, qualis res gestas animo iam percipere posset, haud sine aliqua veritatis specie fore puto, si statuo illum circum annum ducentesimum sexagesimum esse natum. Augustoduni eum fuisse eloquentiae magistrum[30]) et decurionem[31]) ex panegyrico ipso intelligimus. Qua re factum est, ut cum Constantinus illuc oppidum visens[32]) senatoribus potestatem sui conveniendi faceret et, quid cives optarent[33]) aut peterent, audiret, ille in numero senatorum esset, qui in aditu[34]) palatii stabant. Et cum magistratus oppidorum suis rebus domesticis et fide sponderent, omnia vectigalia et tributa civium die constituta pensum iri,[35])

---

p. 130, 133. Cohen déscr. hist. des monn. frapp. sous l'emp. V 178; de Witte Empp. des Gaules tab. 54, No. 8; Revue archéologique, nouv. sér. XXVI, 131.

[29]) cf Trebell. Claud. VI.

[30]) cf cap I orator privati studii literarum.

[31]) ibid. volui...., cum ordinem sublevasti, ... numini tuo gratias agere.

[32]) vid isti enim(c. VII) vasta omnia, ibid.: illuxit dies, cum intrasti portas istius urbis.

[33]) c. IX sponte nos ad numinis tui aditum vocare, sponte affari, sponte, quid opis desideraremus, interrogare dignatus es.

[34]) cf. cap. I volui..... cum ordinem.....

[35]) cf. Brandtium l. l. p. 24.

necessario sequitur, ut auctor octavi panegyrici dives vir fuerit, qui tum, cum orationem haberet, Constantino Augustae Treverorum gratias egit, quod is in patriam tot et tanta beneficia contulisset.

CAPUT SECUNDUM.

DE SEPTIMO PANEGYRICO, QUI INSCRIBITUR

INCERTI PANEGYRICUS CONSTANTINO AUGUSTO DICTUS.

Nunc ad septimum veniamus panegyricum, qui ipse quoque Constantino [1]) dictus est, sed ita, ut nusquam Augusti nomen ei tribuatur. Qua re si quis comprobare velit, eam orationem ante annum trecentesimum septimum [2]) habitam esse, a vero aberrat, propterea quod eius auctor capite XVI bellum tertium [3]) a Maximiano contra Constantinum gestum enarrat, ut huius clementem in illum animum laudibus efferat et praedicet. Maximianum enim dicit, postquam frustra Diocletianum commovere [4]) conatus esset, ut ad imperii gubernacula rediret, Massiliam confugisse, ubi id studuisset, ut Constantini milites contra imperatorem suum sollicitaret [5]) et praemiis datis ad suas partes traheret. Quae spes cum fefellit; nam ille, cum milites fidem datam servarent, Massiliam profectus, hanc urbem circummunivit et oppugnavit,[6]) ut Maximianus manus dare cogeretur. Deinde veniam impunitatemque nactus [7]) et tamen Constantinum necare conatus [8]), eo scelere ab illo capitis damnatus et interfectus est.

---

[1]) qui compluribus locis appellatur, sicut capp. 1, 2, 10, 11, 13, 14, 16, 20, 22.

[2]) cf. pagg. 7 et 8 huius libelli.

[3]) cap. XVI ut et bis depositum tertium usurparet imperium.

[4]) cap. XV at enim divinum illum virum, qui primum imperium et participavit et posuit, concilii et facti sui non paenitet nec amisisse se putat quod sponte transscripsit.

[5]) cap. XVI ut literas ad sollicitandos exercitus mitteret, fidem militum praemiorum ostentatione turbare temptaret sqq.

[6]) c. XIX Massilia enim, ut audio, sqq.

[7]) c. XX cum per te liceret, ut viveret.

[8]) c. XIV qui tibi ex tantis beneficiis ingratus exstiterit.

Sed eo tempore, quo hic panegyricus habebatur, Maximianum iam non fuisse et ex eis, quae attuli, verbis apparet, et capitis vicesimi: „nec se dignum vita iudicavit“ et capitis decimi quartis: sortem, ... quae multis hominibus iniustum et postremo ipsi voluntarium ferret, exitium. Cum autem Maximianum anno trecentesimo decimo mortuum esse constet, et is, qui hunc panegyricum composuit, capitibus XXI et XXII a Constantino petat, ut patriam [9]) et viseret et adiuvaret et restitueret; deinde cum huc Augustodunum anno trecentesimo undecimo iam intrasse primo huius libelli capite demonstraverimus, sequitur, ut haec oratio ante annum trecentesimum undecimum, h. e. anno trecentesimo decimo habita sit.

Quin etiam id contendi potest, eam post diem ante Kal. Aug. septimum [10]) dictam esse Augustae Treverorum. [11])

Sed nunc, quid de eo, qui illam composuit, cognosci possit, colligamus et conferamus. Is pro patria sua [12]) loquitur, cuius civitatis, ut ipse ait, [13]) „antiqua nobilitas et quondam fraterno populi Romani nomine gloriata“ est. Quo in oppido cnm templum Apollinis pulcherrimum totius regionis esse ibidem [14]) narretur, et iam panegyrici quarti capite nono templum eiusdem dei Augustoduni situm commemoretur et patria auctoris septimi panegyrici, ut supra demonstravimus, nomine populi Romani fraterno gloriata esse dicatur, [15]) dubitari nequit, quin patria illius sit vetus ista urbs Aeduorum, Bibracte, vel, quo nomine anno trecentesimo decimo utebatur, Augustodunum. Itaque et qui septimum et qui octavum panegyricum composuit, Augustoduni natum eum esse constat.

Iam vero, cum ille media aetate esse anno trecentesimo decimo tradat, [16]) non sine ratione esse videtur,

---

[9]) quod esse Augustodunum infra demonstrabo.

[10]) c. II: quamvis igitur ille felicissimus dies proxima religione celebratus imperii tui natalis habeatur.

[11]) c. XVII: „illam quoque numinis tui sedem.“ Apparet in eo oppido, ubi oratio habebatur, Constantinum imperare solitum esse: ea autem erat Augusta Treverorum.

[12]) cf. c. XXI Apollo noster sqq.

[13]) cf. c. XXII.

[14]) cf. c. XXI.

[15]) cf. Cicero ad fam. VII, 10, 4.

[16]) cf. cap. I.

eum tum quadragesimum quintum fere vel quinquagesimum annum agere et circum annum ducentesimum quinquagesimum quintum vel ducentesimum quadragesimum quartum natum esse.

Quinque se genuisse liberos praedicat,[17]) quorum unum summa fisci patrocinia tractare praedicat; se ipsum dicit autea officia palatii praestitisse,[18]) et tum magistrum artis oratoriae Augustoduni esse longumque tempus iam docere discipulos eloquentiam, quos, ut sibi valde placens addit, ipse ad tutelam fori et ad officia palatii provexisset.

Sed quod Brandtius ex verbis[19]) „hanc meam vocem diversis fori et palatii officiis" sequi iudicat[20]) ut auctor huius panegyrici causarum actor aut defensor fuerit, errasse mihi videtur, sed minus sua quam Baehrensii culpa, qui „fori" pro „otii", quod omnes libri manu scripti praebent, imprimendum iussit. Brandtius alio loco[21]) id profert: „Ich muss es doch für möglich halten, dass officia otii ebenso im Gegensatz zu palatii gesagt sind, wie Eumenius[22]) mit Bezug auf die Lehrthätigkeit sein Hofamt als otium gegenüber seinem Schulamte bezeichnet, und dass der Redner mit officia otii auf seine dem Hofamte schon vorausgegangene Wirksamkeit als Lehrer weist; er braucht dann früher nicht Advokat gewesen zu sein." Concedendum quidem est, eum coniectura Baehrensii falsissima postposita, ad verum, quod in codicibus legitur, rediisse; tamen ne nunc quidem ei assentior interpretanti „otii".

Primum enim nullo panegyrici septimi loco perspicuum est, eius auctorem, priusquam palatii officia tractavisset, magistrum eloquentiae exstitisse. Deinde Eumenius ille quasi blandiens officia palatii otium fuisse narrat, h. e. requiem ex laboribus docendae eloquentiae. Cum igitur

---

17) c. XXIII.

18) ibid: quod munus haud ita magnum et praestans fuisse Brandtius (p. 13) merito ex eo suspicatur, quod ille id quasi attingens commemorat, cum, si aliquantum grave et praeclarum fuisset, certe hanc quoque rem suo modo praedicasset.

19) c. XXIII.

20) l. l. p. 13.

21) p. 45.

22) paneg. IV, 15.

apud Eumenium „otium“ idem sit quod „munus palatii“, in septima oratione „officiis otii“ eadem vim et sententiem subesse necesse est atque „officiis palatii.“

Id ne fiat, „otii officia“ aliter interpretanda sunt, atque equidem ita ea intelligenda esse puto, ut officia, quae quamquam eum praestare necesse non erat, tamen ultro susceperat, significantur, sicut hunc ipsum panegycum, quem apud Constantinum habuit, aut alias orationes, quas ut haberet a civibus propter eloquentiam rogatus erat.

CAPUT TERTIUM.

DE QUINTO PANEGYRICO QUI INSCRIBITUR

INCERTI PANEGYRICUS CONSTANTIO CAESARI DICTUS.

Age nunc quaerere conemur, quo tempore et a quo oratore quintus panegyricus compositus sit. Quamquam is, in cuius honorem dictus est, nusquam nominatur, tamen ex compluribus rebus conici potest, apud quem habitus sit. Nam ex eo quod et saepissime Caesar[1]) appellatur et summis laudibus propter devictam[2]) Britanniam effertur, nemo non ratiocinabitur, Constantii Caesaris virtutem hoc panegyrico celebrari, qui a Kalendis Martiis[3]) anni ducentesimi nonagesimi tertii una cum Galerio nomine Caesariano utebatur. Qua re terminus, post quem oratio habita est, nobis constat; neque vero in eo acquiescendum, sed accuratius et iam tempus definiendum est, quod ex hoc panegyrico solo, quasi ex fonte, notitia verum quarundam temporum Diocletiani gravissimarum nobis praebetur.

Atque primum quidem, cum toto fere panegyrico receptae Britanniae commemorentur, quaerendum est, quando illa de Allecto victoria a Constantio reportata sit, Hieronymus tradidit, id Diocletiani imperatoris quarto anno factum esse, h. e. inter mensem Septembrem anni

---

[1]) c. I, II, IV, V, VI sqq.

[2]) a capite V usque ad XIX.

[3]) c. III, O Kalendae Martiae .... nunc aeternorum auspices imperatorum.

ducentesimi octogesimi septimi et eundem anni ducentesimi duodenonagesimi. Haec prorsus prava ac falsa esse, unusquisque, qui illorum temporum historiam noverit, confestim videbit.

Quaerenti autem, quomodo ille eum numerum tradere nobis potuerit, id respondeatur, Hieronymum solitum esse Eusebii chronicon ita complere, ut auctore maxime Eutropio res gestas imperatorum saepe locis tabellae suae vacuis ad summam libidinem adderet. Eadem ratione usus, cum apud Eutropium [4]) annum, quo Britanniae receptae sunt, non invenisset, eam rem in lacunam libri sui post annum 287 rettulit, de vero anno non quaerens.

Itaque restat, ut ex oratione ipsa cognoscendum sit, quando Britanniae pacatae sint, postquam — id quod Eutropius narrat — decem per annos a Carausio et Allecto viris seditiosis occupatae sunt. [5]) Atque hunc panegyricum Kal. Martiis anni 297 habitum esse vulgo putaverunt, rati [6]) et „trophaeis Niliacis“ [7]) significari, tumultum Achillei [8]) iam sedatum esse, nec Britannia iam devicta victoriam Galerii de Persis reportatam. Neque vero trophaea Niliaca propter Achilleum subiectum laudari oportet, neque orationem eam ob causam anno 297 habitam esse apparet, cum alia quoque bella illis temporibus in Africa, cum Blemyibus [9]) aliisque gentibus gesta esse sciamus. Accedit quod capite quinto ruina Carporum narratur, h. e. eam gentem in alteram Danubii fluminis ripam translatam esse. Sed cum auctor quintae orationis hanc rem, quam Idatius, cui non est, cur diffidamus, anno 295 factam esse tradit, proximam fuisse narret, consentaneum est, annum superiorem eum in animo habuisse et eam orationem anno 296 composuisse.

Res autem in Aegypto gestas ad tumultum Achillei referri non posse, iam ex eo cognoscitur, quod ordine,

---

[4]) Eutrop. IX, 22 Ita Britanniae decimo anno receptae.

[5]) Eutrop. IX‘ 22. Verisimile est, propter bellum Britannicum Maximianum a Diocletiano Augustum factum esse.

[6]) cf. Brandt, p. 38.

[7]) cf. cap. V.

[8]) de tumultu Aegyptio confer ea, quae capite quarto huius dissertationis de Achilleo narrantur.

[9]) cf. paneg. III, 17.

quo laudes Constantii memorantur,[10]) apparet, ruinam Carporum factam esse post trophaea Niliaca. Qnae si essent Achillaea, anno 296 parata essent, id quod hoc loco omni ratione caret, cum gens Carporum anno 295 traducta sit.

Relinquitur, ut hic panegyricus Kal. Martiis[11]) anni 296 habitus esse putandus sit, cum Britanniae vere huius anni receptae essent et Carausius anno 287 defecerit. Quae congruunt eum eis, quae Eutropius narrat, Maximianum propter tumultus Augustum esse creatum, quoniam eum anno 286 Augustum factum esse aliis ex libris cognovimus. Huic temporum rationi illud praeterea aptum videtur, quod toto panegyrico belli a Galerio contra Persas gesta mentio facta non est; neque Brandtio assentior, qui ob eam causam Galerii cladem apud Carrhas acceptam non narrari censet,[12]) quod orator ille ne perstringere quidem tantummodo vellet ignominiam Romanam. Immo eum ad id tempus, quo quintum panegyricum habuit, non novisse cladem exercitus Galeriani ducisque dedecus, atque ob hanc rem, non eo consilio adductum ut Galerio parceret res illas non memoravisse statuo.

Nunc quoniam de tempore egimus, quaeramus, quid de oppido, ubi oratio habita sit et de auctore iudicandum sit.

Atque oppidum, etiamsi eius nomen ipsum nusquam commemoratur, Augusta Treverorum esse videtur, quippe in quo domicilium imperatoris Constantii fuerit. Huic enim auctor panegyrici nomine civitatis Aeduorum[13]) propter tertium eius diei reditum, quo regnare coepit, gratulatur. Brandtio[14]) autem, qui censet, hanc orationem, quattuor iam annis exactis, ad quinquennalia celebranda compositam esse, cur non assentiar ex eis, quae supra disputavi apparet.

---

10) cf. paneg. III, 17.

11) cap. III. O tempus, quo merito quondam omnia nata esse credantur, cum eodem nunc confirmata videamus. O Kalendae Martiae, sicuti olim annorum volventium, ita nunc aeternorum auspices imperatorum.

12) cf. l. l. p. 38.

13) cap. XXI.

14) pag. IX.

Deinde auctorem aetate esse provectiorem significatur his verbis[15]): „haud immerito me ultra quam aetas et quantulacumque studii mei ferret orinio perturbari confiterer“ sqq. De patria autem nusquam ille facit verba, cum ei pro tota civitate Aeduorum, non Augustodunensium aut alius oppidi civium iussu loquenti, occasio patriae nominandae data non sit. Tum ex eis, quae initio orationis dicuntur, apparet[16]) eum magistrum eloquentiae fuisse et docuisse discipulos virtutes patris et patrui Constantii, h. e. Maximiani et Diocletiani, summis laudibus efferre

His ex verbis num merito efficiatur, id quod Brandtius statuit, illum Diocletiano imperium ineunte publice iam docuisse, valde dubitamus neque diiudicare audemus, cum duodecim annis antequam hic panegyricus habebatur, Diocletianus imperator factus sit.

Honorum autem cursus talis fuit: Postquam Constantio auctore apud Maximianum orationem habuit,[17]) ab illo principe ad eius partes[18]) tractus, rationem arcani imperii suscepit, quam ob causam imperatorem Alemannis bellum inferentem[19]) anno 287 comitatus est. Id ita[20]) narrat, ut manifestum sit, ante annum 287 officium illud ad eum delatum esse. Sed quo anno a munere suo recesserit, definire possumus, si comparamus capitis secundi verba haec: „transeunda sunt potissimum, quibus interfui“ et eiusdem capitis: det igitur nulli, Caesar invicte, hodiernae gratulationis exordium, divinus ille vestrae maie-

---

[15]) cap. I.

[16]) c. I cum in cotidiana illa instituendae iuventutis exercitatione versarer.

[17]) c. I: praesertim cum favente numine tuo ipse ille iam pridem mihi, qui me in lucem primus eduxit, divinarum patris tui aurium aditus evenerit.

[18]) his capitis primi: „inter adyta palatii vestri“ non Constantii palatium significatur, quippe quod non „vestrum“ sed „tuum“ appellari oportuerit, sed Maximiani, soceri Constantii qui illud, quamquam Constantius quoque eius particeps fuit, ut collega maior, solus habuisse putatur. Item secundo quoque capite „divinitate vestra,“ Maximiamus solus significatur.

[19]) cap. II transeunda sunt ea ...., quibus officio delati mihi a divinitate vestra honoris interfui, captus rex ferocissimae nationis .... atque exhausta penitus Alemannia.

[20]) ibid.

statis ortus.“ Nam cum praetermissis eis, quibus aderat, eius diei mentionem faciat, quo Constantius Caesar creatus est, sequitur. ut Kalendis Martiis anni 293 officio arcani sermonis nondum functus sit. Altero[21]) primi capitis loco, quo Brandtius[22]) demonstrare conatur, quando auctor huius panegyrici honore se abdicaverit, tam dubiae narrantur res, quae ne octavo quidem capite panegyrici sexti, ubi laudes Maximiani universae praedicantur, ullo modo commemorantur, ut equidem ipse illis quicquam colligere non audeam. Id modo tenendum mihi videtur, illum qui quintam orationem composuit, ante annum 287 magistratum iniisse, ante annum 293 reliquisse; postea rus[23]) se recepisse, ubi in praedio satis magno agros colendos et pecora alenda curaret.[24])

CAPUT QUARTUM.

DE QUARTO PANEGYRICO AB EUMENIO COMPOSITO.

Quartum panegyricum editores inscribere solent: „Eumenii orationem pro restaurandis scolis;“ in codicibus „quartus panegyricus“ inscribitur, qui titulus rectius vel „de instaurandis scolis“ [1]) vel certe „de restituendis“ scribendus erat, quod cum Maeniana illa iam semel exstructa erant neque aliud illis temporibus agebatur quam, ut vastata et discipulis orbata restituerentur, tum Eumenius ipse verbo restituendi hac de re bis[2]) utitur, „restaurandi“ nusquam. Sed de tempore huius orationis, cuius auctor Eumenius quidam fuit, qui in clausula epi-

[21]) postea tot translati sint in Romana cultores.
[22]) Brandtius l. l. pp. 10, 11, 45.
[23]) c. I cum ... me ..... studium ruris abduxerit.
[24]) c. IX arat ergo nunc mihi sqq.
[1]) secundum haec capitis decimi: quam sit ex usu atque officio instaurari opus illud.
[2]) cap. II: ex hac postulatione quam de restituendis patriae meae Maenianis mihi sumendam potius quam cuiquam delegandum putavi, c. XI hoc salarium ..... cupio .... ad restitutionem huius operis, quod usus poposcerit, destinare.

stulae ad eum missae nominatur,[3]) viri doctissimi valde inter se discrepant. Nam[4]) de la Baune eam exeunte anno 296 aut ineunte anno 297 scriptam esse putat, Manso anno 283, Burkhardtius anno 295; Arntzenius anno 297 aut 298, Clinto anno 299. Itaque cum inter annum, quem Clinto statuit et eum, qui Mansoni placuit, non minus quam sedecim anni intersint, accurate et caute in constituendo anno, quo oratio habita sit, agendum est. Atque Brandtius duabus rationibus ad annum definiendum utitur. Nam primum res gestas, quae illo panegyrico commemorantur, excutit et temporum terminis circumscribit, quam quidem rationem ipse in primo, secundo, tertio capite adhibui; deinde demonstrare studet, eum, qui quintam composuit orationem pendere ab Eumenii elocutione, ita ut hic panegyricus temporis spatio quodam antecedat quintum. Ipse quoque eandem, quam antea, viam secutus primum de tempore orationis agam, deinde probabo Brandtium errare, si statuit quintum oratorem ab Eumenio quaedam exscripsisse. Apparebit enim, quartam orationem p o s t quintam compositam esse eamque ob causam fieri non posse, ut quintus panegyristes Eumenium imitatus sit.

Gravissimum autem argumentum orbis ille[5]) pictus praebet, quem Eumenius discipulis interpretandum, ut ait, propositurus erat; quo in orbe cum praeter Britanniam Aegyptus quoque, Achillei furore posito, prorsus subiecta Romanis picta esset, quaerendum est, quo tempore Achilleus ab Diocletiano devictus sit. Atque primum videamus, quid veteres rerum scriptores de tumultu ille memoriae tradiderint.

E u s e b i u s chronicon: anno Diocletiani septimo[6]): Busiris et Coptus, civitates Thebaeorum in Aegypto contra Romanos rebellantes funditus subversae sunt.

I d e m: anno nono, cum Alexandria una cum Aegypto

---

[3]) c. XIV Vale, Eumeni, carissime nobis.

[4]) confer ea, quae Brandtius p. 38 collegit.

[5]) c. XXXI.

[6]) h. e. 293 p. Chr. n. quod Eusebius addit, eodem anno Constantinum et Maximianum Galerium Caesares socios imperii adscriptos esse; quam rem tum factam esse constat.

in rebellionem venisset, Alexandria nequivit resistere Romanorum exercitui.

Cedrenus 467, 19: *τῷ ζ' ἔτει αὐτῶν τὴν Βούσιριν καὶ τὴν Κοπτὸν πόλεις ἐν Θήβαις τῆς Αἰγύπτου ἀποστατησάσης τῆς τῶν Ῥωμαίων ἀρχῆς εἰς ἔδαφος κατέσκαψαν.*

Idem 470, 3 *τῷ αὐτοῦ ἔτει τῆς Ἀλεξανδρείας σὺν τῇ Αἰγύπτῳ ὑπὸ Ἀχιλλέως ἀποστατησάσης τῇ προσβολῇ τῶν Ῥωμαίων πλεῖστα ἀνῃρέθησαν.* Cum Eusebii verba in Armenium sermonem versa nomen Achillei non contineant, sequitur, ut in Eusebii chronico non fuerit nec Cedrenus id ab eo exscripserit.

Eutropius IX, 23 Maximianus Augustus bellum in Africa profligavit, domitis Quinquegentianis et ad pacem redactis; Diocletianus obsessum Alexandriae Achilleum octavo fere mense superavit eumque interfici iussit. Victoria acerbe usus est; totam Aegyptum gravibus proscriptionibus caedibusque foedavit.

Hieronymus: anno Diocletiani decimo tertio Alexandria cum omni Aegypto .... octavo obsidionis mense a Diocletiano capta est.

Orosius (VII, 25, ed. Zangemeister) rebellante Achilleo in Aegypto ..... idem § 8: porro autem Diocletianus Achilleum obsessum per octo menses apud Alexandriam cepit et interfecit, sed immoderate direptioni dedit, Aegyptum totam proscriptionibus caedibusque foedavit.

Johannes Antiochenus (Müller frg. historic. Graec. vol. IV frg 164.) *Καὶ τούτου τοῦτο πεπραχότος καὶ κεκινημένων πάντων τῶν πραγμάτων καὶ Ἀχιλλεὺς κατὰ τὴν Αἴγυπτον ἐνεωτέριζεν.*

Jordanis (Getica ed. Mommsen p. 86) sequens Orosium: postquam ...... Achillemque in Alexandria Dioclitianus (sic) superasset ..... Idem (Romana ed Mommsen p. 30) sequens Hieronymus: Achilleus Aegyptum invaserat .... Assumpta ergo unusquisque principum expeditione Dioclitianus, Aegypti tyranno octavo mense devicto, provinciam cunctam subegit.

Aurel. Victor. de Caess. 39, 33. Jovio Alexan-

---

7) rectus αὐτοῦ?

driam profecto ... 39, 38 At in Aegypto Achilleus facili negotio pulsus poenas luit.

Epitomator qui vocatur Aur. Victoris 39, 3 Hoc tempore Carausius in Galliis, Achilleus apud Aegyptum, Julianus in Italia imperatores effecti diverso exitu interiere. —

Quod testimonium cum ex nullo eorum librorum, quos attuli, exscriptum sit, unusquisque optimum esse concedet.

Polemius Silvius. (Laterculus ed Mommsenius; in Abh. der Königl. Sächs. Ges. d. Wiss. II. p. 243), cap. III [nomina omnium principum Romanorum]: „Diocletianus et Maximianus ..... sub quibus Achilleus in Aegypto, Carausius et Allectus in Britannia tyranni fuerunt.“ —

Cum hic quoque auctor plerumque vere et fideliter res gestas memoriae prodiderit, non est, qnin eius testimonio omnem habeamus fidem.

Itaque tres scriptores, quorum libri magni aestimandi sunt, Eutropius, Epitomator Victoris, Polemius Silvius — a quibus reliquorum auctorum pars pendet — narrant, Achilleum quendam in Aegypto tumultum excitasse, et Alexandriae per octo menses obsessum, captum, necatum esse. Nomen autem Achillei, cuius formas vel Achilleum [8]) vel Achillem [9]) vel Achillaeum [10]) quater decies in lapidibus inscriptum repperi, quattuor syllabis constare videtur propterea, quod falsis adhibitis literis Achillaeus scriptum est; qua re efficitur, ut non idem atque Ἀχιλλεὺς sed potius Ἀχιλλεῖος sit. Quam ob causam cognomen id esse, non gentilicium nomen statuo.

De tempore autem, quo tumultus Aegyptius coortus et repressus esse videatur, ea de causa difficilis quaestio est, quod Eusebius et Cedrenus, qui soli annorum rationem praebent, quamquam uterque septimo anno Diocle-

---

8) C. J. L. VIII, 3001 Posuit Vitellius Achilleus Tntor et Libertus; 8957 D. M. S„ L. Herennius Achilleus sqq. IX 1781, Aulo Castricio Achilleo, 2195 Herculi Sancto, S. Achilleus. X, 4600. Willmannus 224. C. Erucianus Achilleus.

9) C. I. L. V. 129 Vibius Achilles; 5918 Albucius Achilles; 8116, 51 Q. Sulpicius Achilles, X. 5046 Numiterno Achilles, Aug. Libertus.

10) C. I. L. III, 559 ..... M. Acilius Achillaeus. V, 5353 Achillaei ..... (= 8904) 7916 Sallovius Achillaeus. X, 1712 Achillaeus.

tiani imperatoris Coptum et Busirim deletas esse tradidit, tamen in tumultu Alexandrino enarrando inter se differunt. Ille enim nono, hic decimo anno illam urbem expugnatam esse memoriae prodiderunt. Praeterea fieri non potuit, ut Busiris Coptusque anno septimo Diocletiani everterentur. Nam cum hic a. d. XV Kal. Oct. anni 264 imperator appellatus sit, eodem autem anno, quo oppida illa delebantur, Constantius et Galerius Caesares creati esse ab Eusebio dicantur — id quod anno 293 factum esse certissime constat — sequitur, ut hic annus 293 non septimus sed octavus vel nonus Diocletiani sit; nisi forte quis credit, huius imperium demum a Carino victo numerari, quae opinio rescriptis [11]) Diocletiani anno 285 editis refellitur, quibus is Augustus II. significatur.

Quibus rebus apparet, de tempore Alexandriae captae ab Eusebio et Cedreno tradito, quod ad annos imperii Diocletiani referatur maxime dubitandum esse, atque hoc tantum constat Busirim et Coptum anno 293 cum cives a Romanis deficere conati essent, funditus deletam esse, et Alexandriam duobus vel tribus annis post ab Achilleo quodam occupatam, octo per menses per Diocletianum oppugnatam, denique captam esse; et illud hoc loco quaerendum non est, utrum duo tumultus et causa et effectu inter se differant, an unus sit, cuius Busirica et Coptica res initium, Alexandrina exitus erat.

Alio igitur modo quaerere conabimur, quo tempore eae res actae sint. Nam cum Eutropius, Aurelius, Jordanes narrent, Diocletianum ipsum Alexandriam obsidendam et oppugnandam curavisse, sequentes iam rescripta, a Diocletiano edita, quae imprimis codice Justiniano nobis tradita et a Mommseno libro supra memorato disposita sunt, reperire poterimus quo tempore ille Alexandriae versatus sit. Annorum 293 et 294 permulta habeamus responsa, quibus loca, ubi Diocletianus singulis mensibus fuerit, certo cognoscuntur et intellegitur, anno 293 eum Sirmii aut Byzantii aut in oppidis inter illas urbes sitis versatum esse; anno 294 usque ad Sextilem mensem eum Sirmii mansisse, mense autem Septembri

---

[11]) cf. Mommsen: Die Zeitfolge der Verordnungen Diokletians. (In Abhandlungen der Königl. Preuss. Akad. d. Wiss.) 1861, p. 421.

via, quae secundum dextram Danubii fluminis ripam fert, Nicomediam se contulisse; quo medio mensi Septembri pervenit ibique usque ad eius anni finem permansit. Anni 295 quattuor modo responsa tradita sunt, quibus apparet, eum a. d. XV Kal. April. Nicomediae etiam fuisse, Kal. autem Maiis iam Damasci versatium esse. Sequitur, ut ille tum in terras ad orientem versas profectus sit; eius autem temporis, quo ibi versatus est, h. e. ab anno 296 usque ad annum 298, nulla rescripta nobis relicta sunt praeter unum, quod non anni indicio, sed diei et loci unde dabatur, instructum est.

Id [12]) scriptum est pridie Kal. Apriles Alexandriae. Sed cum Diocletianum hac in urbe bis fuisse constet, et tum cum Achilleum devinceret et anno 302 [13]), hoc autem responsum anno 302 attribui non possit [14]), restat, ut editum sit, cum Achilleo devicto Aegyptus in provinciae Romanae formam redigeretur.

Accedit, quod illis temporibus Galerius Caesar duo Persis bella et anno 296 et anno 297 intulit, quorum prius tam male gessit, ut [15]) prorsus devinceretur summamque infamiam subiret. Quo facto, ad detrimentum resarciendum Diocletianus eum sequenti anno rursus Persas aggredi iussit; ipse autem cum nuntius cladis illius perniciosissimae Alexandriam allatus esset, veritus, ne maiorem calamitatem imperium caperet, ex Aegypto [16]) autumno anni 296 in Mesopotamiam [17]) profectus est, ut Galerium, si rursus in discrimen deduceretur, adiuvaret. Neque tamen illo auxilio opus fuit; nam Galerius cum Narseo ingenti, ut Eutropii ipsis utar verbis [18]), successu pugnavit eumque in ultimas regni solitudines egit. Sed victoria reportata Nisibim [19]) in oppidum Mesopotamiae,

---

[12]) coll. leg. Rom. et Mosaic. XV, 3. Jurisprud. anteiust. quae supersunt ed Huschke III, 655.

[13]) Chronicon Pasch. p. 514.

[14]) cf. Mommsen, l. l. p. 443.

[15]) Eutrop. IX, 24.

[16]) Julian p. 18.

[17]) Eutrop IX, 25; in Syriam, ut ait Aunnianus Marcellinus XIV, 11, 10.

[18]) Eutrop IX, 25.

[19]) Petrus Patricius fol. 25 (Müller frgm. hist. Graec IV, p. 189 .... ὅτι Γαλέριος καὶ Διοκλητιανὸς εἰς Νίσιβιν συνῆλθον. ἔνθα κοινῇ βουλευσάμενοι στέλλουσὶν είς Περσίδα πρεσβευτὴν Σικόριον Πρόβον.

ubi Diocletianus cum praesidiis[20]) morabatur, uterque convenit et Galerius summo cum honore receptus est.

Cum igitur Dioelctianus in Mesopotamiam venisse dicatur, priusquam alterum bellum a Galerio inciperetur, sequitur ut ex Aegypto anno 296 sit profectus, rescriptum illud, quod prid. Kal. Apriles dabatur, anno 296 attribuendum sit. Quam ob rem Alexandriam necesse est, Kal. April. iam expugnatam fuisse et cum octo per menses obsideretur, ab exeunte aetate anni 295[21]) circumclusam esse.

Nunc quoniam cognovimus, quando Achilleus devictus sit, redeamus ad propositum et quaeramus, quo tempore panegyricus quartus habitus sit. Cum non ante aestatem anni 296 compositum esse unusquisque ex iis, quae de bello Alexandrino dicta sunt, facile intelleget. Cum autem quintum panegyricum, ut priore capite demonstravimus, Kal. Mart. anni 296 habitum esse constet, perspicuum est, id quod summi momenti est, quartum panegyricum aliquo temporis spatio post quintum compositum esse.

Hoc modo mihi contigit, ut Brandtium refellerem, qui demonstrare studebat, oratorem quintum ab Eumenio quaedam exscripsisse. Qua de rerescripsit haec: „Ganz schlagend, inquit[22]), aber wird die Benutzung von Rede IV durch V durch folgende Vergleichung erwiesen:

Cic de imp. Cn Pomp.	orat IV, c. 18 nisi forte non gravior Britanniam ruina depresserat, quam si superfuso tegeretur Oceano, quae profundissimo poenarum gurgite liberata ad conspectum Romanae lucis emersit.	oratio V, c. X minus indignum fuerat sub principe Gallieno quamvis triste harum provinciarum a Romana luce discidium c. 19 (Britanni) tandem liberi tandemque Romani tandem vera imperii luce recreati.
ita regnat ut se non Ponti neque Cappadociae latebris occultare velit, sed emergere ex patrio regno atque in vestris vectigalibus hoc est, in Asiae luce versari.		

Brandtius quidem his tribus locis adductus statuit, Eumenium hanc elocutionem „Romanam lucem“ a Cicerone petivisse, oratorem autem quintum Eumenii verba

20) Eutrop IX, 25.

21) cum Kal. Mais Diocletianus Damasci versaretur, ineunte fere Sextili mense in Aegyptum venit.

22) Brandt p. 40.

expressisse. Sed omnes, qui mea de quarti panegyrici tempore argumenta probarunt, intellegent Brandtium ingenium et sagacitatem suam frustra adhibuisse; neque nobis persuadere potest, quintum oratorem ab Eumeni elocutione pendere.

Non necesse esse arbitror alio modo demonstrare Brandtii opinionem falsam esse; nam si alter alterum exscripsisse putandus est, Eumenius certe rectius, secundum ea quae supra diximus, furti accusabitur quam auctor quinti panegirici.

Sed ne id quidem contendere audemus; utrum casu an consilio in utraque oratione similia insint, non quaeremus. Mihi sufficit demonstrasse Eumenii orationem post quintam habitam esse.

Nunc quoniam de tempore, quo quartus panegyricus habitus est, disserui, de eius auctore nonnulla addam. Atque Eumenium quendam eam composuisse iam supra demonstravimus; Augustoduni autem eum locutum esse elucet ex his[23]: „quorum vita in Augustodunensium oppido ingenuis artibus eruditur;“ denique apud praesidem[24] provinciae Lug dunensius primae, cuius in regione oppidum illud situm erat, Eumenium dixisse, et ex eo apparet, quod illum virum, apud quem orationem habebat, „virum perfectissimum“[25] appellat, et extrema oratione intellegitur, qua ab illo petit, ut literis, quas ad principes civitatis dare soleat, restituenda Maeniana curet.

Ibidem eum natum esse ex oratione ipsa[26] cognoscitur, postquam avus[27] Athenis ortus, cum Romae diu magno eventu eloquentiam docuisset, inde Augustodunum vocatus est, ut in Maenianis illam disciplinam adulescentes doceret. Quo officio plus octoginta annos natus functus est. Eumenius ipse maximam aetatis partem Augusto-

---

23) c. XIV.

24) minime eius nomen Glaucum fuisse ex capitis XIII verbis — id quod interdum factum est — effici potest: si ab isto venerabili sene, — te Glauce appello — praesentem quem videmus, non civitate Atticum, sed eloquio recoli ornarique (scil Maeniana) perfecero.

25) capp. I. XIII, XV, XVII, XXI aliis locis.

26) capp. II de restituendis patriae meae Maenianis.

27) cf. cap. XVII .... illic avum quondam sqq.

duni vixit; nam quod profitetur[28]) „plerosque eorum, qui circumstarent, miraturos esse, quod qui ab ineunte adulescentia ab id tempus numquam in publicum prodiisset, tum sero quodam tirocinio ad insolitum tribunal aspirarit“ videmus, eos qui adstabant, Eumenium inde ab illo aetatis tempore novisse.

Tum quamquam primam publicam orationem habuit, tamen iam antea artem oratoriam in patria[29]) docuerat: quo in officio administrando interpellatus apud Maximianum, qui annis 291 et 292 in Gallia versabatur, et inde apud Constantium anno 293 magister memoriae factus est.[30])

Qui eum, cum Britanniae anno 296 bellum inferre moliretur[31]), summo cum honore dimissum[32]), Augustodunensium adulescentium auditorio praeceptorem eloquentiae, priore apud Maeniana magistro mortuo,[33]) praefecit et salarium sexcenorum sestertium, quod altero tanto maius erat, quam quod ad id tempus acceperat,[34]) ei attribuit. Quod decretum, ab Eumenio ipsis, quibus scriptum est, verbis traditum,[35]) ante bellum Britannicum anni 296 factum esse apparet ex eis, quae modo exposuimus. Orationem autem post hunc annum habitam

---

[28]) cap. I.

[29]) cap. VI.... ut me filius potius meo ad pristina mea studia aditus molientem ipsum iusserit, disciplinas artis oratoriae retractare, cap. XIV salvo igitur privilegio dignitatis tuae hortamur, ut professionem oratoriam repetas. Cap. XV... non solum meus ex otio iacens ad pristinas artes animus attolli.

[30]) cf. c. VI, ubi verba prorsus deperdita: „et hoc ipsi palatio“ levissima mutatione „et antehac“ scribenda puto. Cum ea, quam proposui, temporum ratione eiusdem capitis verba: et sensa principum optime coniungi possunt.

[31]) c. V..... et inter illas dispositiones imperatorias longe maioribus rei publicae gubernandae provisionibus occupati, literarum quoque habuerunt delectum, scil principes.

[32]) c. XIV salvo privilegio dignitatis tuae.

[33]) c. V, qui nobilissimam istam indolem Galliarum interitu summi doctoris orbatam respicere dignati, suo potissimum iudicio praeceptorem ei moderatoremque tribuerunt. Cap, XIV auditorio huic, quod videtur interitu praeceptoris orbatum.

[34]) c. XI, ut trecena illa sestertia, quae sacrae memoriae magister acceperam, in honore privati huius magisterii addita pari sorte geminarent.

[35]) toto capite XIV.

esse eodem argumento intellegitur; quin etiam cum Eumenius multa praemia in se collata esse narret,[36]) postquam praeceptor Augustoduni factus est, longius temporum spatium vel biennium vel triennium inter annum, quo munus ei deferebatur, et annum, quo oratio illa habebatur, praeteriisse videtur, ita ut hac quoque re demonstretur, hunc panegyricum aliquanto post annum 296, h. e. post panegyricum quintum habitum esse.

Annum denique, quo Eumenius natus sit, sequens Brandtium, fere 260 esse puto. Nam eo quod illa tum, cum Maenianorum [37]) frequentatio tumultu Gallico interrumperetur — h. e. ab anno 259 usque ad annum 265 — pueritiam se non iam ingressum esse confitetur, veri simile est, anno 260 eum natum esse. Qua cum temporum ratione id congruit, quod anno, quo hunc habuit panegyricum, ipsius filius ad eam aetatem pervenerat, ut arte oratoria erudiretur.[38])

CAPUT QUINTUM.

PANEGYRICUM QUARTUM ET OCTAVUM AB EUMENIO SCRIPTOS ESSE.

Quoniam, quid ex singulis panegyricis de eorum auctoribus colligi possit, exposuimus, nunc ea de re quaeremus, num qui ab eodem viro compositi esse videantur; nam in ea re viros doctissimos prorsus inter se discrepare, initio huius dissertationis diximus. Atque multas et graves esse causas, cur et quartum et octavum, neque vero quintum aut septimum panegyricum ab eodem Eumenio scriptos esse putem, manifesto apparebit, si ea, quae de auctoribus quartae et octavae orationi diximus, paullo accuratius consideraverimus. Utrumque virum circa annum 260 Augustoduni natum esse vidimus. Tum Eumenii cursus honorum is fuit, ut primum in patria adulescentes eloquentiam doceret, deinde apud Maximia-

[36]) c. XI in quem multo maiora et prius et postea praemia contulerunt.
[37]) c. XVII.
[38]) ut me filio potius meo ad pristina mea studia cqq.

num et Constantium magister sacrae memoriae esset, denique rursus artem oratoriam tractaret in patriam reversus, ubi tantis divitiis excellebat, ut totum salarium a principibus tributum ad Maeniana restituenda redderet atque remitteret.

Octavi autem panegyrici auctorem, qui occasione non oblata muneris cuiusdam publici a se administrati mentionem non facit anno 310 et ipsum praeceptorem eloquentiae Augustoduni fuisse demonstravimus, quo in oppido inter divitissimos cives numerabatur et senatorii ordinis erat. Itaque cum nihil in vita utriusque inveniatur, quo negari possit, Eumenium octavum quoque panegyricum dixisse, nonnullae autem res sint, quibus illud confirmetur, suo iure contendi posse mihi videtur, Eumenium eundem esse, qui octavum panegyricum composuit.

Idem reperiemus, si elocutionem in utraque oratione adhibitam consideraverimus.

Sed ne quasi alienis fontibus hortulos meos irrigare videar, imprimis ea, quae Brandtius (pag. 28-31) collegit et disposuit, huc refero, quamquam omnia, quibus ille Eumenium non esse auctorem octavi panegyrici demonstravit, mihi totidem testimonia sunt, quibus probetur eundem esse hunc atque illum.

Similitudinem enim tot locorum, quos Brandtius affert, et ex Eumenii oratione ab auctore octavi panegyrici exscriptos esse putat, ita intellego, ut Eumenium, similibus occasionibus oblatis, similibus verbis usum esse existimem neque id pauperis aut vilis animi esse iudico. Nam omnium et poetarum et oratorum et rerum scriptorum permulta inveniuntur exempla, quae ex alio libro in alium translata esse videntur, cum in pari aut simili condicione paria aut similia verba adhibita sint. Sed alia sunt, quibus multo magis appareat, elocutionem quartae et octavae orationis ita congruere, ut ea ab uno auctore compositas esse necesse sit, quarum rerum haec exempla afferum:

Substantiva verbalia, quae nominativo casu terminantur syllabis „io, as, us, entia, antia“, quamquam in omnibus quattuor orationibus inveniuntur, tamen permulta in quarto et octavo panegyrico usitata sunt: ut IV 2) interpretatio ex postulatione, 4) restitutio, celebratio,

rebellio, miseratio, dispositio, 5) provisio, 6) dignatio, professio, 7) affectio, 9) ostentatio, institutio, aliaque plurima; 1) insolentia, 2) neglegentia, confidentia, 3) frequentia, magnificentia, 4) providentia, 5) eloquentia, 6) indulgentia, conscienalia; 1) facultas, 2) cupiditas, diversitas, 3) novitas, liberalitas, 5) pietas, 6) dignitas, 8) firmitas alia; 2) ornatus, 3) usus, sumptus, 5) dilectus, fluctus, 8) instinctus, 9) respectus; 5) (= 9) iuventus alia; 4) magnitudo, ordo, 6) sollicitudo, 7) magnitudo, 8) consuetudo alia. VIII 1) gratulatio, ratio, oratio, 3) adulatio, 5) defectio alia; 1) indulgentia, 2) praesentia, clementia, providentia, 4) praesentia, 5) scientia alia; 1) longinquitas, paucitas, immortalitas, 2) assiduitas, 3) felicitas, consanguinitas, caritas communitas, dignitas, aequalitas, permulta alia; 1) aditus, salus, 2) comitatus, apparatus, 3) metus, exercitus, commeatus, consessus alia; 1) ordo, magnitudo, 3) necessitudo, 5) consuetudo.

Porro participii forma saepius utuntur soli Eumenius et auctor octavi panegyrici, ubi scriptores veteres Latini enuntiationem totam, quae pronomine relativo regitur, adhibent, ut IV 1) circumstantes, 2) audientes. VIII 1) assistentium; auctor autem quinti panegyrici recte dicit: „qui amant“ non: amantes. Deinde in similibus et translationibus utendis praeter „velut, quasi, quidam“, quae apud omnes panegyristas inveniuntur, „quodammodo“ apud Eumenium et auctorem octavi panegyrici solos legitur, ut IV 10) ante aras quodammodo suas; 15) verum etiam ipsi quodammodo scolarum parietes et tecta consurgere; VIII 4) quae reliquas urbes quodammodo Romanas prima fecisset. Apud eosdem solos verba, quae accusativi cum infinitivo constructionem secum habere solent, sine hac constructione cum indicativo coniunguntur: IV, 8) Credo igitur, tali Caesar Herculius et avi Herculis et Herculii patris instinctu tanto studium literarum favore prosequitur, ut sqq. VIII, 4) Dicet aliquis: vetera ista sunt et quidem hoc sanctiora quod vetera sqq.

Deinde genitivum obiectivum quam maxime Eumenius et octavus orator ita vitabant, ut scriberent: IV, 3) cum aliquo meo erga patriam amore, 4) singularis in nos-

providentiae, 6) sollicitudo erga honorem. VIII, 1) de tuis in se beneficius.

Denique apud eosdem „quamquam“ semper cum coniunctivo adhibetur: IV, 1) quamquam mihi sedes ista iustitiae ..... amplissima videretur; 3) quamquam in hac oratione .... loci tantummodo insolentia, non dicendi novitate perturber. VIII, 6) quamquam merito quivis ignoscat ipsis cultoribus, quos piget laborare sine fructu; 12) quamquam enim adhuc sub pristina sarcina vacillemus tamen levior videtur sqq.

Itaque postquam Eumenium et quartum et octavum panegyricum scripsisse demonstravimus, restat, ut quaeram, num quintae aut septimae orationis auctores eidem atque Eumenius esse videantur. Atque quinti panegyrici auctorem non esse Eumenium ex eo apparebit, quod hic demum anno 293 a Constantio dimissus atque praeceptor eloquentiae factus est, ille autem iam anno 293 a Maximiano remotus expers ullius officii rus se recepit. Certe igitur tres illos annos — ab anno 293 usque ad annum 206 — apud Constantium sacrae memoriae magister fuit. Adde quod et genere dicendi et elocutione eo modo inter se differunt: Eumenius numquam brevioribus similitudinibus aut imaginibus utitur, quin eis particulam quandam „ut, sicut, quasi, velut, quidam, quodammodo“ attribuat, auctor autem quinti panegyriei saepissime eas sine ulla particula adhibet, cuius rei haec sunt exempla: V, 18) si metu vestri lues illa solis Britanniae visceribus incubuit; 2) tenet uno pacis amplexa Romana res publica; 3) gubernacula maiora quaerebat aucta atque augenda res publica, 6) cum oceanus ille tanto mole consurgens. Denique Eumenius, ut diximus, „quamquam“ cum coniunctivo, auctor quinti panegyrici cum indicativo coniungit: V, 2) Quamquam multa mihi ex illis quoque hoc in tempore necessario transeunda sunt sqq. 8) quamquam illa regio divinis expeditionibus tuis .... paene, ut cum verbi periculo loquar, non est.

Restat, ut septimi panegyrici auctorem cum Eumenio conferam; qua in re primum in mentem mihi venit, illum Graecos quasi despicientem „Graeculos“ nominasse (VII, 19); id quod Eumenium vix fecisse puto. quippe cuius avus, quem ipse praedicat et quo gloriatur, natione

Graecus fuerit. Deinde miror, quod idem ille qui bis officiis functum se esse dicit, non apud summos civitatis principes Maximianum et Constantium magistrum sacrae memoriae se fuisse narrat, praesertim cum ceteris locis omnino non modestum aut verecundum se praebeat. Ex quibus omnibus apparet Eumenium ne septimum quidem panegyricum composuisse.

Tum elocutione inter se maxime discrepant; cuius rei haec sunt exempla: Eumenius verbum „mirandi" cum quod et coniunctivo adhibet: IV, 1) Certum habeo ..... plerosque mirari, quod ego ..... maluerim; septimus autem orator eo cum quod et indicativo utitur: VII, 15) non miror quod etiam genero peieravit. Deinde ille, sicut iam saepius exposui, brevioribus imaginibus non sine „velut quasi", aliis particulis utitur, hic saepissime sine eis: VII, 3) non repentinus aliquis favoris ventus te principem fecit; ibid. militiae gradibus emensis ad fastigium istud maiestatis ascendit, 14 se talem siderum decreta formarint, ut crudelis esse non possis. 21 qui omnem spem in gremio maiestatis tuae ponimus 23 multi quippe ex me rivi non ignobiles fluunt. Tum apud illum permulta substantiva verbalia in „as" aut „io" cadentia reperiuntur, ut supra demonstratum est, apud hunc perpauca; denique Eumenius participii formis saepius utitur, ut „assistentium, circumstantium", septimi panegyrici auctor enuntiatione cum pronomine relativo: „qui amant."

His quas attuli rebus demonstrasse mihi videor, Eumenium Augustodunensem quartum et octavum panegyricum scripsisse, non quintum aut septimum; sed ne horum quidem auctores eosdem esse iudico, quippe quorum cursus honorum inter se discrepent.

Quamvis diligenter igitur atque subtiliter Brandtius rem tractaverit, cuius rationem propterea tam accurate examinavi, quod postremus hac de re optime scripsit, tamen ea, quae statuit, non esse probanda contendo.

VITA.

Natus sum Arminius Sachs Frankensteini prid, Non. Octobr. 1862 patre Alexandro matre Mathilda e gente Franc. fidem profiteor mosaicam.

Primis literarum elementis in schola, quae tum Horwitzo, nunc Holzmanno rectoribus Berolini floret, imbutus, anno 1873 in gymnasium Berolinense quod vocatur Leucophaeum receptus, anni 1881 mense Aprili, testimonium maturitatis adeptus academicis universitatis almae literariae Fridericae-Guilelmae ascriptus sum, ubi quattuor annos studiis philologicis et historicis me dedi. Audivi viros clarissimos professores doctores Breslau, Curtius, Deussen, Diels Dilthey, H. Droysen, Hübner, Kiepert Kirchhoff, Märker, Mommsen, Mullach, Paulsen, Robert, Scherer, Schmidt, Vahlen, Zeller. Exercitationibus suis privatissimis ut adessem permiserunt vv. dd. et philosophicis Deussen. et epigraphicis Kirchhoff, et historicis Droysen, et philologicis Hübner, et archaelogicis Robert, et germanicis Scherer, seminarii historici Mommseniani per quater sex menses sodalis ordinarius fui. Horum omnium virorum, qui summa benevolentia studia mea adiuverunt, memoriam semper pio animo colam.

THESES.

1) Achilleum usurpatorem non eundem esse ac Domitium Domitianum.

2) Thucyd. I, 3 legendum esse *καὶ ταύτην τὴν στρατείαν ξυνῆλθον* (non *στρατιάν.*)

3) Tibull. I 25 legendum esse: Dum modo iners possim.

4) Herod. I, 1 id esse initium *Ἡροδότου Θουρίου ἱστορίης ἀπόδεξις ἥδε·*

5) In recensendis Thucydidis libris codicis B rationem non esse habendam.